Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8302
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

barbarus se daturum pollicetur: generum futurum appellat. Promulgata fama barbari ad excipiendum Romanum imperatorem ornata parant. Spe pacis aeternae laetabantur. Antoninus traiectis expedite amnibus Parthorum regionem ingressus est ac propere: oblatis sibi ubique sacris: ac statutis passim aris: adhibitis denique a Romanis omnibus et thure: his quae a barbaris fierent, se gaudere simulavit. Ita progressus parte maxima peracta itineris: Artabani tandem regiae appropinquabat. Nec mora quin restiterat Artabanus: sed in campum ante urbem obviam ei proficiscitur: filiae sponsum: ac generum suum dextra apprehensurus. Universa barbarorum multitudo provincialibus floribus coronata: aurea veste: variis distincta coloribus: festivitate magna exhilarabatur. Ad tybias: syringas: tympanorumque tynnitus [illegible] propinabat. Nam in plurimo vino expleti fuerant: quandam saltationem moti exultabant. Postquam universa multitudo convenit: egressique venerunt, pharetra arcuque deposito

Antoninus.

Art.

Artabanus.

Vinum Parthi bibunt.